DOCTOR IOANNES DE SAAVEDRA, MEDICVS HISPALENSIS, DOCTORIBVS SAPIENTISSIMIS EIVSDEM CIVITATIS. S.

CONTENDIT SATISFACERE apologiæ, quam edidit doctissimus Doctor Ludouicus Perez Ramirez, huius Academiæ primarius Medicinæ professor, & nemini secundus.



ECCE QVARTO calamum accipio, viri sapientissimi, accepturus millies & toties quoties in lucem ederentur Apologię de morbillo, non respondentes, nec quidquam aducentes ad quæstionis resolutionem de venæ sectione, morbillis apparentibus: gradum tamen sistere faciet noster Doctor Ramirez, qui apud me, & alios tanti merito habetur; vt non dubitem quin multi obedientia quadam ceca sine discursu ducantur in eiusdem opinionem. Cum ergo ab alijs non sit spectandum amplius, ma-

 xime

ximè cum quoadiutorem habuerit Incognitum non minus sapiētissimum, nec vos expectabitis á me nouas apologias, cùm enim huic satisfecero, omnib' satisfecisse ero vissus. Hac ratione oportuit explicare qualiter Doctor iste, aliás doctissimus, nihil ad quæstionis decisionem attulerit, qualiter omnia, quæ adduxit aliás doctissim?, sint communia, & quæ minimé controuersiam dirimunt, & qualiter omisserit respondere triginta duabus difficultatibus à me propositis; ad quas oportebat illum satisfacere, cúm immediatè quæstionem attingāt; Omnia ergo constabunt, scoliando breuissimè Apologiam, omittēdo multa minus probabilia (non enim est animus nouas quæstiones inculcare) procedam ergo adnotando, quòd noster eximius doctor nihil probat, cúm tamen probaret maximè, nisi artem Doctores, & morbum ipsum haberet in cōtrarium; inde nascitur defectus, perinde atq; incognito accidit, vterq; doctissimus cum sit. Ad rem igitur accedo, & primó.

Folio 1. pag. 1. Nec bellum parauit Doctor, nec ipsum indicere voluit sapientissimis Doctoribus, sed quærere veritatem in re adeò necessaria.

Eodem fol. 2. pag. 1. initio. Satis, superq; dixi contra incognitum, quam magna sit differentia inter variolam, & morbilos, quam adducit Auic. cap. proprio; Adeo vt fere solúm in delatione vtriusque ad cutim conueniant, & in febre precedenti, licet diuersæ naturæ, vt ex eodem colligunt quamplurimi à me aducti, & quamuis cum hoc sapientissimo aliqui sinocham iudicent: quod propterea gratis dedi Incognito, id non impedit, imo fortius probat expulsionem fore criticam, vtpoté ab humore benigno, & magis superabile á natura.

Fol. 2. pag. 1. Et cum accessiones refert ad causas, quas adducit, decipitur, & cum alios decipi affirmat; falitur etiam

etiam cum ait, vrinam rubram obſeruari in pueris morbillis affectis: fallitur etiam meo videri, cũ id ex ſymptomatibus conſtare affirmat; cum potius ab vniuerſis doctoribus fortiora, & maiora proponantur in morbillo quam in variolis ob humoris maiorem calorem, & mordacitatem.

Folio eodem, pag. 2. In morbillo intenſio caloris febrilis naſcitur, non ex ſola putredine, ſed iuncto feruore, & ebulitione, perinde, atq; in ſinocha, ſine putredine. Vapores autem ab eadem materia eleuati, ſi putreſcat ſunt fumoſi, & fuliginoſi amplius, atq; magis mordaces, & propterea magis ſitim inducentes; & cum hoc calor remiſior cum materia putrida eleuat materias ad os ventriculi ſitim inducẽtes, maiorẽ quã nõ putrida, & benignior intẽſioris caloris ex ebullitione: & cum reſpondere cõtendit, iterum dicatur nõ ſeruatur paritas in putredine, & in morbillo reperitur maior inflamatio ad maiorem calorem.

Fol. 3. *pag.* 1. §. *Cæterum, &c.* Contendit experientiæ ſatisfacere, & fallitur primo, quod nec eſt febris ſanguinis in morbillo, nec eſt maligna febris, ſed mitis, & benigna, & quærere complicationes febrium: in hoc eſt maior fallentia, & naſcitur ex maiori ignorantia rei. Nec dubito quin poſsint complicari; præterquam quod nemo poterit obſeruare permutationem, quam aſsignat in morbillo, qui in tertio, vel quarto terminatur, quomodo tám breui tempore Doctor iſte ſapientiſsimus obſeruat continẽtiam, & poſtea acceſsiones tertio quoq; die: Et eſt dignus ſuo metaphiſico, & accuto ingenio ratio acceſsionum cũ continente; deſiderarem ego vt in praxi eam mecum obſeruaſſet, præterquam quod in phyſica multas habet difficultates.

Folio 4. *pag.* 2. *initio.* Finxit ſibi definitionem contra Auicenam, & contra Doctores communiter, cum non ex

ex sanguine, sed ex bile, licet hoc ipsi, & alijs fuerit gratis datum, nec febris hæc etsi interdum possit cum malignitate adoriri, maligna est, sed benigna, & mitis; & cum contendit id probare ex accidentibus, fallitur, nam quæ accidentia concomitantur propria sunt febis continuæ biliosæ, aut ex sanguine bilioso, vt ipsi volunt, reliqua sicut crissima, quæ breuissimè eduéniunt, ob breuem terminationem, in quibus noster Doctor, aliàs sapientissimus, turbatur ad iuditium de malignitate, & de venæ sectione. Sunt certè accidentia maligna cum accidentibus, crisim præcedentibus cōmunia, de quibus Galenus lib. de humoribus 5. & sæpè alibi ait; *Difficultas tolerandi vigiliæ, deliria, lachrimam inuiti emittunt, vrina retinetur, labrum concutitur, tremores, non possunt eodem loco decumbere, grauis sopor, surditas.* Hæc omnia etiam sunt maligna, ex eodem Galenò multis in locis. Cur ergo si in febre morbillorum sequitur crisis, & naturæ excre tio copiosa ad cutim, potius maligna quám critica iudicantur à nemine, & à viro nostro sapiētissimo? Dato quod hæc eadem reperiantur in morbillis, multó enim mitiora habentur. Et confirmatur maximè benignitas, securitas, & crisis morbillorum ex Galeni verbis, 2. aphor. 24. cum ait; *Nam mitißimæ febres, & quæ tutißimis signis incedunt, quarto die crisi finiuntur, vel antea; malignißimæ autem, & grauißima signa præ se ferentes, quarto die interimunt, aut prius.* Ecce enim contraponit malignum cum benigno, in benigno affirmat omnia, quæ in morbillis reperiuntur, contraria autem maligna minime reperiũtur, &c. Idque maximé confirmatur ex Galeno, cum ait: *Malignus morbus ille est, in quo omnibus ritè factis non cedit, et qui prauitatem quandam præsefert.* Dicat mihi Doctor noster, & vos viri sapientissimi dicite, quando nō cessit morbillus, quando tertio die ab exitu non fuit comparata integra salus. Vnde vos omnes prauitatem colligitis contra

Auicenam, & communiter Doctores à me relatos, qui omnes á pauca, & exigua putredine cum maiori feruore, & ebulitione febrem oriri docuerunt. Cum tantum inter sit inter paucam putredinem, & putredinem sordidam, & ingentem prauitatē, á qua morbus malignus. Relinquitur ergo quod morbillus minime sit malignus, quominus pestilens, hoc enim affirmare absurdum, & ignorantia plane est. Non nego tamen posse interdum euenire, vt in violaceo, & viridi contingit; etiam euenit tertianam esse malignam, & perniciosam, erit propterea tertiana absoluté maligna, & perniciosa. Et cum ex contagio contendit probare malignitatē fallitur amplius; id enim nō ex malignitate, sed ex cōmuni putredine in affectibus cutaneis, vt in scabie, & alijs, maximè quod si, vt ipse affirmat, & benè malignitas fundamentū habet in sordida & ingētissima putredine multo ordinaria maiori ridiculu esset hoc ipsū in febre morbilorū affirmare. quæ sic citò, & salubriter finiatur; & quāuis Author in his probādis ostēdat sui ingenij acumē, & doctrinā, nihil tamē deseruiunt omnia ad quæstionis diffinitionem, veluti nec primum, secundum, tertium, & quartum, quæ ipse deducit in quinto folio.

Fol. 5. pag. 2. in fine, §. Vlterius, &c. Videtur sibi efingere nouam medicinam cum qualitatem malignam morbillorum ab alijs separat, & distinguit, & cum id probare cōtendit, incidit in nostram sententiam, dum concedit morbillorum facilem, & citam resolutionem, & terminationem, & cum contendit satisfacere, rationem redit contra experientiam, & obseruationem; contingit enim communiter & sæpè morbillus criticus, & facilis cum in magna quantitate erumpunt, & cum intensiori febre, vt sæpe est dictum, & cum inferius ait, in morbillo critico febrem omnino ab excretione cessare, vellem cum illo conuenire

uenire, vt tám in praxi, quám in ſpeculatione multa mihi perciperem; eſt enim diſcipulus ſupra magiſtrum iſte doctor, & ſupra magiſtros multos. Scio tamen propria obſeruatione ſemper morbillos apparere cúm febris perſeuerantia per vnum & alterum diem vſque ad eius, & morbillorum reſolutionem. Scio præterea duas obſeruationes contrarias reſpectu eiuſdem haberi non poſſe: fallitur ergo, aut ego falor.

Fol. 6. pag. 2. initio. Contendit aliter reſpondere difficultati á me, & ab ipſo propoſitæ, meam condemnando. Erant hæc typis mandata quãdo ego me expoſui in ſcholis contra Incognitum, aut ſaltim ipſa non conſiderauit, videret enim quod ego non detraxi morborum tempora in morbillis, nec quoad eſſentiam morbi, nec quoad alterationem materiæ: videret enim, quod tametſi ego dixerim in morbis ferboris, & ebulitionis ſine putredine nõ reperiri tẽpora quoad materiæ alterationem, in morbillis tamen ipſa inueniri dixi, quoniã in illis febrẽ putridã eſſe aſſerui: leuem tamen, ac propterea citó, & feré inſenſibiliter pertranſire principium, vt oſtenduntloca Galeni á me aducta, & ab Authore iſto in præſenti relata, & in primo Galeni, loco 8. method. 4. dicat mihi noſter Doctor ſi vt ait quod in principio eſt pauca putredo, poſtea non inualeſcat, ſed inualeſcát natura, ante putredinis intenſionem, nónne citiſsimé perueniet ad augmẽtum, vt in morbilis? Hoc ergo eſt quod affirmatur, & cum accedit ad ſecundum Galeni locum, 1. de criſib. quando ait cum Galeno, quod in primo die apparet coctio, ait, quod in illo die putredo fuit ſuperata & peruenit ad augmentum. Id ipſum eſt á me dictum cum explicueram inſenſibilitatem principij ad ſenſum medici propter eius breuitatem, vt ex hoc videat Doctor noſter, quod, vel ambo, vel nullus toto cœlo aberrauimus: errat ipſe cum ait, me tempora

mor

morborũ, & quoad maturæ alteration ẽ denegasse, ac similiter denegasse principium, cum illud proposuerim insensibile tamen ad iuditium medici.

Fol.7.§. Nos ergo ad dubinm, &c. Tantam vim habet, quod verum est, vt velint, nolint, proprijs rationibus in nostram veniant sententiam, contrarium sentientes, veluti huic egregio Doctori accidit, cum contendit propriam rationem redere propter quam febris morbillorum tan citò finiatur. Aait enim; *Id accidere ob humoris paucam malignitatem* (cum nulla malignitas sit communiter) *& ob sanguinis tenuitatem, propterea ait, facile à natura superatur, quoquitur, & resoluitur, & quia cúm sit communiter febris puerorum, qui facile resoluuntur, facile etiam resoluuntur humores.* Quod communiter accidere vir este affirmat: hoc ipsum est propter quód febris morbillorum citó vincitur, & crisi terminatur, & ex consequenti venæ sectione non eget. Ecce Doctores sapiẽtissimi qualiter præmissas mihi proposuerit adnecessariam consequentiam. *Ergo venæsectione non est opus.* Admitto tuas rationes in quantũ fauent meæ sententiæ, admitte meas cùm etiam ex natura morbi id euenire docui, túm etiam & ex materia quasi victa. Cum istæ adæquatæ videantur, tuæ minimè, contingunt enim sæpè morbi cum pauca malignitate, imo sine vlla, & cum humorum tenuitate, & in pueris, longè maioris durationis, quám febris morbillorum, cumq; confert morbillum puerorum, cum morbillis adultorum, in nostram incidit sententiam, saltim in puerorum morbillis.

Fol eodem, 7.§. Sequitur tandem, &c. Ad exemplum nostri primi tractatus, à febre procedit ad tumores; verum non sic ipsorum explicuit naturam, sanguineos illos efecit, cum potius sint biliosi, verúm non exquisiti, vt á me est explicatum: & cúm persentiret hic difficultatem ex defectu superotionis, id ait contingere ex citissima resolu-

tione morbillorum : ex qua ratione potius ego naturam ipsorum biliosam coligerem; eadem enim est ratio quare citò resoluantur, atque quare non superentur; coligeretur etiam erysipilam ob id non superari, quia citissimè resoluitur, aut resolui potest, quod nullus dixit, sed ob naturá humoris siccam, & quod magis est colligerem contia istũ Doctorem securitatem, & breuitatem huius morbi, & ex consequenti facillimam naturæ victoriam, ꝙ criticam minimè indigentem venæ sectione, nec alijs remedijs.

Eodem fol. §. Expellit autem, &c. Natura concitatur ad expulsionem sine malignitate humoris, cum alijs qualitatibus peccat humor, aut sua quantitate, vt laté Galenus, 2. de dif. feb. vltimo, & sæpè alibi, ex quo sequitur, quod minus benè noster Doctor in præsenti colligit malignitatem, ex decubitu naturæ ad cutim cum sine ipsa, imo cũ humoris benignitate, sola quantitate peccantis quotidie excernatur.

Folio. 8. pag. 1 §. Ex hac doctrina, &c. Prosequitur tractatum de variolis satis doctum, & qui in quotidianis suis prelationibus poterat venundari multó, verùm ad quæstionis decisionem de venæ sectione, morbillis apparentibus, est omnino impertinens, & multó àmplius cum iure & meritó sit apud omnes famosus, his & , alijs non indigens ; indigebat tamen apposita, & genuina aduxisse, proprijs rationibus non communibus, & authorum testimonijs, qui expressè quæstionem deciderent, verùm de his nihil, ad quid ergo in hoc paragrapho de affectu communi variolarum? Ad quid quod precipué in pueritia cõtingat disputatio? cum quæstio de de morbillis tantum sit, & de venæ sectione tantum, ad quam nihil interst, vtrum semel, vel plures afficiamur, & cum rationem redit ob quam semel tantum contingant variolaæ siccitatem scilicet derelictam in extrenuitatibus

vena-

venarum, deberet explicare cur postea recurrant sæpius exanthemata & multarum pustularum differentiæ plurimę, cum per easdem venas ad cutis exteriora ducantur. Deberet etiam attendere, quod variolæ & morbilli locũ habent in cute exteriori (epidermis dicitur) in qua nulla cicatrix relinquitur, & ad quam non terminantur ora venarum, sed ad veram cutim, & deniq; maior est cutis siccitas post septimum, quam ab ortu ad septimum, si ergo post septimum multis egrediuntur; in quibus egrediuntur statim ab ortu; multoties egredi oportebat vsque ad septimum, ergo cum non egrediantur aliunde petẽda est ratio: laudo igitur accutiẽ, rationem vitupero. Maximè quod ex sententia huius Doctoris, febris sinocha cum sit in morbillis, & variolis, necessariò feruet, aut putret sanguis in venis maioribus inter inguina, & alias, aut in alijs notabilis magnitudinis, non in capillaribus, quæ ad cutim terminantur. Ab illis ergo immediatè egrediũtur morbilli, deferunturq; ad cutim, admodum á me explicitum primo discursu.

Fol. eodem, pag. 2. §. Pro quo dico primo, &c. Cum per sexdecim paginas multa inutilia ad controuersiam præmisserit Doctor noster; iam in hoc paragrapho conclusionẽ apponit, quæ potest conducere ad quod quid est quæstionis, ait ergo; *In morbillorum eruptione non fit semper crisis perfecta, subita, scilicet mutatio ad salutem, aliquando tamen eam fieri concedit.* In primis ex quo ampliús poterit Doctor iste sapientissimus colligere excretionem morbillorum criticam, vel symptomaticam, quam ex euentu facilitate, securitate, & breuitate salutis secutæ; si ergo hic feré in omnibus sequitur, sequitur etiam quod in omnibus, aut saltim in pluribus sit critica, non ergo aliquando, quod ipse asserit. Verum de hoc non plura, plurima enim in contrarium adduximus in 1. 2. & 3. additione nostra.

 Fol

Fol.eodem, § 1. *&c.* Contendit aliquibus probare Doctor noster sapientissimus suam conclusionem, quam in hoc primo suo argumento repetit, sed non probat.

Fol.eodem, § 2. *Probatur*, *&c.* Huic secundo argumento multis satisfecimus in apologijs; modò dico, quod im perfecta, & integra crisi tota materia expellitur, & hoc non est naturæ dificile, maxime in morbo, cui est anexũ, & proprium crisi terminari, vt in morbillis, propter illius naturam, & materiæ obedientiam, ex quo nascitur, vt facilè, & citò natura inueniatur superior, & omnia requisita ad optimam crisim inueniantur coniuncta, de quibus latè in prìmo nostro discursu, & quando in hoc secundo argumento, fol. 9. ait; *Nonnè aliquoties poterit fieri expulsio diminuta?* Quando in communi non probat, cõtendit probare in casu particulari, de quo non est controuersia, nec ipsum ego negaui.

Fol.9 pag.1.§. Sed volo tibi, &c. Non gratis, sed necessarió mihi debet concedere, omnia requisita concurrere ad crisim morbillorum, de quibus latè, vt dixi in prímo discursu, & quando de vrina dubitat, vbi in plures non aseruatur, dicat mihi ipse qualiter sine eius consideratione iudicat excretionem symptomaticam ad secandam venam, & qualiter securus poterit administrare remediũ magnum. Mihi securitatem adferunt casus faciles securi & critici communissimè, vt eosdem expectem, & opus naturæ, maximé quod in casu symthomatico, et raro, securus etiam incedo si expectauerim motũ impetuosum, & subitum naturæ, vno, vel altero die, aut saltim sine expectatione cucurbitulas siccas, vel scarificatas adhibuero, & cum faciei considerationem ad crisim desiderat hic noster Doctor non venit parum admirandus, & cum alia quęrit ad bonitatem, & integritatem crisis, omnia inueniet sequenti dię ab excretione si desiuerit naturam

criti

criticare. nec eius actionem phlebotomator impedierit? & cum Hipocratis locum adfert ipsum intelligat per acta excretione tuberculorum ad cutim, non verò cum excernu itur, tunc enim nondum aduenit hora iuditij, & cõtemplationis excrementorum: ecce Doctor qualiter ex omnibus certus sum de crisi integra, & perfecta morbillorum, verùm nollem tibi, Doctor sapientissime tantam defatigationem, cum á te, & ab alijs vnum, vel alterum Doctorem expostulauerim, qui dicat, morbillũ esse symptomaticum, ex quo dependet controuersiæ decisio, nullũ tamen aduxisti, obtuli tibi multos afferentes esse criticũ, Hipp. Galen. Auicen. & ex junioribus multos, quibus maior est habenda fides, vtpotè à quibus omnes didiscimus, propterea cum illis conferre curantes turpe est. Ad reliqua ergo huius Doctoris procedo.

Fol. 10. *pag.* 1. §. *Præterea ad oculum, &c.* Sepé sepiús, & communiter perseuerat febris in exitu morbillorum criticantium, in quo non vnam solutionem, sed duplicem aduxi in discursu, eo recurrat lector, & inueniet facilem solutionem ad omnia, quæ insignis noster Doctor opponit, & cum phisica demonstratione ostenderim, febrem accidentalem, inquit me nullam rationem attulisse, fortè timidus respondendi, quoniam responsum non admittit demonstratio, & quamuis noua fuerit cõsideratio febris accidentalis, antiquæ, & exarctæ sunt rationes, quibus eam probabimus, ego veró aliter, vt soleo, suis oppositis seorsum satisfaciam, & in primis.

Fol. eodem. §. *Probo præterea, &c.* Seruata paritate in quantitate, & qualitate humoris, qui longiús distat á corde minus valebit ipsum accendere, verúm non seruatur eadem qualitas in vitioso sanguine, cum habetur in venis massæ sanguinariæ permixtus, atq; cum efferuet sincerus in cute, de quo plura possem adducere ex Hippoc. & Gal.

Gal. omittuntur tamen quoniam breuitatem profiteor, verum non omittam Auicenę verba cúm dixit; *Caue nè ægrum ducas ad vnam duarum rerum, aut colericorum ebulitionem, aut frigidorum conditatem.* Sãguis ergo permixtus efrenat humorem aliás sincerum magis ebulientem. Præterquam quod morbilli non solúm ad externa trahuntur, sed etiam magna copia, vt in variolis in internis exoriuntur, seruantes cum corde eandem vicinitatem, quam dum in venis habebatur. Præterea tametsi ego pro constanti habeam febrem illá accidentalẽ, si tamen febris esset vnica, perseuerabit autem intensa in expulsione morbillorũ, quamdiu enim natura est, in motu critico est in pugna, & incongressu, vnde maior, aut æqualis febris præcedenti, de quo plura á me in discursu, vbi stante etiam vnica febre in morbillis euidenter demonstraui, quod in hora expulsionis, & quandiu crisis perseuerat, durat & perseuerat febris. Deberet ergo noster insignis Doctor in vtraq; febre probare: & quod dum natura criticat in abcessu, iã necessarió febris cessauit, deberet etiam probare quanto tempore natura detineatur criticando in abscesibus, quod tacuit nè necessarió conuinceretur, cum necessum esset illi concedere, quod vno, duabus, & tribus diebus communiter immoretur.

Folio eodem, pag. 2. §. sed dicas, &c. Ratione conturbationis, & ratione expulsionis etiam febres accidunt maiores criticando, imo ex motu in hora expulsionis, perseuerante eodem congressu, & naturæ conatu, interdum maior calor, & febris perseuerat, quousq; declinauerit materiæ expulsio, & imminutio manifesta, tunc iam imminuitur febris symprhomata, vt in morbillis.

Folio eodem, pag. eadem, §. Prætereo hoc idem, &c. Ita est, quod febres diuersæ diuersa habent signa & symptomata, sunt autem leuissima, & feré obscura in ephimera ma-

iora

iora in putrida. Quando ego duas febres constituo, non sic intelligatur, quod in vno instanti prima finita altera suboriatur; sed ita vt prout vna augetur altera imminuitur: itaque prima febris imminuitur, ad imminutionem humoris, qui in venis putrebat, aut ebuliebat, & cum in fine totus fuit expulsus cessauit omnino, & tunc febris ephymera sola habetur, quę paulatim in secundo, vel tertio die euanescit, & resoluitur cum morbillis. Et si noster Doctor magnus rectè obseruasset, videret vtique quod symptomata aliter se habent quam in hora conturbationis præcedentis, & quam in principio expulsionis: & hoc experientia est euidentissimum, siue sit duplex, siue singuraris febris.

Folio eodem, pag. eadem, §. Denique, &c. Ex multis cognoui, quod non adeó est attentus Doctor iste aliás sapientissimus obseruationi, aut ego attentus nõ fui. Quod semper vidimus illud est, quod quanto est maior copia morbillorum, tanto est maior febris, saltim non est minor in primo die exitus si subitó egrediantur, vt solent, & Auic. docet, contingit autem interdum, quod febris intensio non respondeat copiæ morbillorum cum nõ fuerint adeó exquisiti, sed cirrhodes, vt in additionibus diximus.

Folio 11. pag. 1. §. Hæc tamen solutio, &c. Optima est solutio & ex arte, & quæ aducit in contrariũ, non solúm nõ probant falsitatem solutionis, se etiam falsa aducit, quoniam in primis locus 3. prognost. 1. non habetur, nec per sumnium Galen. de crisi pręcipiti, vel diuturna vllum verbum adducit, & cum ex Gal, 2. aphoris. 23. ait; *Repente factas inmutationes crises appellari:* Vera sunt Galeni verba, verum falsa, aut nulla intelligentia Doctoris, quam autẽ ego aduxerim habetur in prima additione, fol. 2. pag. 2. initio, & latè in discursu, & non possum non mirari tantum Doctorem asserentem terminationem morbillorum solu-

ſolutione fieri, non veró criſi, de quo audiat Galenum 3. de criſibus 7. *Quicumq; autem modi paulatim finiuntur, ſolui quidem in præſentiarum dicuntur, per criſim autem finiri nequaquam.* Et ſtatim: *Sicuti vero efatu digna euaquatio, vel omnino decubitus cum veloci perturbatione neceſſario in criſibus fiũt ita vt ſolutionibus, neq; agitatio aliqua, neq; euaquatio, nec decubitus accidunt.* Et tanto amplius miror Doctorem iſtum quantò mihi conſtat libros de criſibus fuiſſe interpretatum in ſuis prælectionibus, in quibus trita eſt, & vulgaris differentia terminationis morborum, cum ergo in morbillis reperiatur conturbatio & agitatio maxima, & reperiatur abceſſus ſubitus, non per ſolutionem, ſed per criſim finiuntur, ex hoc capite conſtat etiam quam falſum ſit, quod criſis abſoluta non tranſcendat diem vnum, ait enim; *criſis alia abſoluta, in qua æger omnino liberatur à mormo, & præcedit perturbatio non modica, & ſequitur vomitus, defectio, ſudor, hemorrhois, menſtrua euaquatio, parotides, & ad pedes, & genua decubitus, & hos modos criſim nominare inſtituimus.* Et ſtatim: *Alter quidem modus criſis eſt, qui ſeruat reliqua ſigna prioris, vno autem tantummodo differt, qui non integre á morbo liberat.* Ex qua doctrina percipiet noſter Doctor, quod criſis abſoluta & integra comprehenſa in primo diuiſionis membro à Galeno extenditur ad primũ ſecundum, aut tertium diem, quoniã ipſe nõ vidit quod arthritis, parotides, hemorroydes, menſtrua purgatio, criticantes vno die compleãt euaquationem, ſed pluribꝰ ocupetur natura. Colliget etiã quod in diſcurſu laté probaui de criſibus abſolutis factis per abceſſum, quæ nullibi magis conſtant quam in morbillis. Ex quibus conſtat quam violenter voluerit interpretari Galeni textum expreſſum, 2. de diebus decretor 5. *Cum expreſſé doceat naturam criticando durare vſq; ad ſecundum & tertium diem.* Iuditium vocat Galenus talem excretionem, nõ ſolutionem, iudi

iuditium autem, seu crisis absoluta, & subitó facta, altera est breuioris durationis, altera longioris, iuditia ergo, & crisis inter se confert, non vero crisis cum solutione. Intra latitudinem ergo veri iuditij & absoluti, iuditia sunt breuiora, vel longiora, prout morbus acutus extenditur plus, minus vé: adeó vt si extendãtur nimis & cronici redantur, iam nec perturbatio, nec iuditium sequitur, sed solutio: ex quibus assequetur Doctor intelligentiam ad Galeni loca, quæ in præsenti aducit. Cum tamen Galenus morbillos non cognouerit, nec variolas.

Folio eodem, & pag. §. Nec exemplum, &c. Ex dictis á Galeno euidenter constat de errore Doctoris in hoc paragrapho, nam si iuditium & solutio, sunt incompatibilia, errat cum dixit; *Nam quando in alijs morbis plures dies ocupãt iuditia, non erunt crises, sed paulatinæ solutiones.* Si iuditia sunt quæ ocupant, non equidem solutiones.

Folio eodem, pag. 2. §. Probo id etiam, &c. Satis superque diximus in discursu, & additionibus, quod morbillus potius est morbus ebulitionis quam putredinis, quæ adeó exigua habetur, vt feré sit insensibile principium, & statim appareat coctio, & cum materia sit tenuis & benigna & superabilis, & quod magis est ex conditione & natura morbi, nascitur, quod etiam si communiter crisis & perfecta coctio in 3. vel 4. contingat, interdum tamen poterunt euenire criticè antea, aut si placuerit huic viro doctissimo, eueniant tunc temporis symptomaticè ego non disputo, nisi regulares casus, prout regulariter administratur venæ sectio in omnibus sine distinctione.

Eodem fol. 11. §. Quod tamen &c. Si quando ait subito cessare febrem ab exitu morbillorum, li subitò, comprehendit primum & secundum, & vsq; ad tertium diẽ, vt á me est explicitum in discursu, dicit benè. Si veró per li subito: intelligit quod protinus cum morbilli expellũtur

tur copiosi in prima die cessat febris, fallitur in sua & aliorum experientia, cōtrariam enim semper vidimus, magna cum attentione, secus, atque in variolis, in quibus febris communiter cessat omnino cum apparent, vt in discursu diximus; in morbillis autē perseuerat & ad ipsorū resolutionem resoluitur, ex quo non dubito quin febris fuerit tunc temporis accidens, si vero fuerit eadem cum præsiistenti, durat, quia durat iuditiū & expulsio toto i lo tempore. Verum cum in hoc paragrapho vir iste concedat morbillos aliquando criticos; cum tanta sit deferentia symptomatici ad criticum vellem illam assignaret: ego enim ferè illos vniformes video, in febre, in symptomatibus, in resolutione, in euentu, in duratione, & in salute integraque sequitur.

Ibidem §. Dico secundo, &c. Quanta cum demonstratione probaberim crisim morbillorum esse perfectam, & integram, & in primo membro diuisionis á Galeno cō prehensam, videat lector in prima additione contra doctorem magnum cuius expectatur apologia sub alieno nomine, vt huic liti finem imponat. Verum sit ita vt iste Doctor & ille dicunt quod sæpe sit criticus imperfectè subitó ad melius & paulatim ad salutem, ergo sæpe non est secunda vena: bené tenet consequentia, quoniam per inde est expectanda natura, in vna & altera crisi, quod multis à me est probatum, nec in controuersiam contrarium verti potest in hora expulsionis, bene tamen postquam quieuit ab expulsione & crisi, sed in primo, 2. & 3. die morbillorum, natura communiter non quieuit, ergo quiescere debet medicus.

Eodem fol. 11. §. In secunda parte, &c. Profitetur ostendere authores docentes morbillos esse symptomaticos, verúm non adimplet promissum, aducit primum Marcum Cornacinū, qui ad vnguem traduxit verba Vallesij

2. Apho

2.aph.15. á me explicata in ſecunda additione contra in-cognitum, & erat locus ſuper quo pugnabant viri ſapientiſsimi, cuius clara, & certa interpretatione etiam noſter Doctor deſiſtet ab eadem pugna, ipſam videbit loco citato, & cum doctrina ſit communis ex Auic. cur Cornacinum incognitum? deberet ergo dicere, cum morbilli ceperunt erumpere, dixit exanthemata, & verum habet in variolis, & puliculari morbo. Similiter interpretatur Holerius, nam, papule, eſt nomen equiualens exanthematibus genericum, & latius patet quam morbillus, & ſic in alijs papulis verum habet. Similiter Hucherius intelligitur; & miror iſtum Doctorem verſatum in docendo, & in diſputando, quales cōſequentias deduxerit vellem mihi reſponderet, huic conſequentiæ in morbo punticulari critico non eſt ſecunda vena; ergo morbus punticularis eſt criticus, negabit illam ſine dubio, quoniam in conſequentia connotatur natura punticularum in communi, in antecedenti caſus rarus & particularis ad eundē modum, non ſequitur in morbillo ſymptomatico tale remedium eſt adhibendum, ergo morbillus eſt ſymptomaticus, non valet quoniam in antecedenti denotatur caſus particularis & rarus, quem ergo non nego, nego tamē naturam communem morbillorum eſſe ſymptomaticā, ſed criticam; nec in contrarium adduxerunt iſte Doctor, nec Incognitus authorem, qui dicat, morbillū eſt ſymptomaticum, quod á me eſt expoſtulatum multoties, cum multos adduxerim in diſcurſu, & additionibus, docentes eſſe criticum; in quo conſiſtit tota controuerſiæ deciſio. Et quando ex Auic. & alijs adduxit ſigna morbilli læthalis, etiam aducuntur à Mercato ſex differentiæ tertianæ pernitioſæ: ergo ſequitur quod tertiana abſolutè eſt pernitioſa, nemo concedet, id enim nunqvam negaui: modo autem natura incomuni morbillorum inquiritur-

vt venæ sectio communis est secus rës se habèt in casu raro,& particulari.

Fol 12.§.Verum in benignioribus,&c. Ab hoc §.vsq; ad finem folij 14.adducit quamplurimas differentias excretionum à natura factas, doctissimè quidem, vt solet,sed omnino inutiles ad controuersiæ decisionem, propterea omittuntur, tametsi possent multa examinari, mea autē interst solum ea adnotare, & ad ea respondere, quæ aliquo modo videntur conducere ad nostram controuersiā,

Folio 14.pag.2.§.Sed dicis eriditissime Doctor,&c. Dico euidenter,& est impossibilis in arte solutio,vt in discursu probabi: nā citissima,breuissima, & securissima morbillorum terminatio,excludit non solúm pestilentem,& malignum,verum etiam symptomaticum, ad quod partim læthalia, partim difficilis iudicationis, ex Hipp. Et iterum cruda veró & incocta,&c.vt in discursu.Nec obstat ex Auic.& Herculano imo ab omnibus, & â me conceditur morbillus aliquando læthalis,sed ex hoc, vt diximus,non sequitur supra naturam eius communem.

Eodem fol.14.§.Sed inquires,&c. Contendit redere signa quibus posit cognoscere, quando morbillus excernitur symptomaticè,& primum ex vrina,hæc certè necessarió faciet illum certum,de critico, quoniam incipit á materia ferè cocta propter exiguam putredinem & maiorē ebulitionem,vt ex Auic. & Mercato attulimus in discursu,& quia morbus biliosus est, in quibus interdum sufficit bonus color, bonus autem color communiter reperitur,& quia natura in materia benigna, magnas breui tēpore operatur mutationes & victorias , & in morbillo hoc nascitur ex natura morbi,quod cito finiatur & vincatur,vt doctè Mercatus in discursu adductus. In secundo signo minus poterit esse certus noster Doctor, tùm quia communiter egreditur morbillus post tertium, túm etiā

quoniam

quoniam & si antea egrediatur etiam coctus egredietur, adeò etiam est facilis & superabilis eius materia, vt quacumq; die & hora posſit euinci in casu particulari; verũ sit vt vellit in isto casu?ego de morbillo communiter eueniente tradidi doctrinam non de eueniente raro. In tertio signo miror istum Doctorem, miror Incognitum, cum cõtẽdunt obseruasse febris remotionem, in subituneo egressu morbillorum. Parcant mihi, falluntur quidem in sua obseruatione, sum enim certus, quod semper, atque confertim egreditur morbillus (egreditur autem sic communiter ex Auic.) durat febris fere cum eadem intensione; quam esse ephimeram mihi certo scio, quæ subcrescit prout prima remittitur: sim fuerit vnica, vt dixi, conseruatur in hora motus & crisis quousque natura quiescat. In quarto signo minus erit certus quoniam in hora crisis, & expulsionis grauiora sunt symptomata, dicat, vt cognoscit sapientissimus noster Doctor, quod non ex crisi, sed ex morbi cruditate & vitio nascantur, maximè cum grauiora & maiora sint in crisi salutari, imo tunc aparẽt signa communia verbo maligno.

Eodem folio 14. pag. 2. §. Ex his omnibus, &c. Falso ait Doctores non asserere morbillos exire criticé, cum omnes qui explicant modum exitus dicant exire criticè, nec vllus vnquam dixit exire symptomaticé, & cum ait exire per modum crisis, in duobus fallitur primo in interpretatione, nam Auic. per modum intelligit differentiam crisis per excretionem, fallitur etiam secundo cum de morbillis intelligit Auicenam, cum expresse de variolis loquatur, cum ait; *Et valiolæ quidem sunt quasi modus quidam crisis.* Quas constat simptomaticé, & pernititiosé, sæpè etiam accidere, vt sæpe etiam criticè, at morbilli criticé semper afficiunt raro symptomaticé, & pernitiosé.

Folio 15. pag. 1. §. His iam suppositis, &c. Aparentibus mor.

morbillis si morbus sit integrè iudicandus speramus non est secã da vena. Ait bene, sed cur non sperat; tum etiam iste Doctor cũ morbilli excernuntur, & fit iuditium, sed cum iuditium fit etiam sperant Hipp. & Galenus, speret etiam noster Doctor, satis, superque illum confidentem redere possunt fælices aliorum morbillorum euentus: maxime quod obseruabit omnia, quæ desierantur signa, & cum optat etiam diem contemplabilem, attendat quod in morbis celerrimæ terminationis, in 3. vel in 4. non datur dies comtemplabilis, forté in morbillo cum incipiat á materia semicocta, primus dies contemplabilis est iudicandus.

Eodem fol. §. *In secunda autem, &c.* Cum ex febris perseuerantia conatur ostendere exitum symptomaticum, fallitur Doctor iste maximus, in contrarium enim stat experientia, vt sæpe est dictum; & cum aducit Hipp. & Galenus 2. Aphor. 15. Dicunt bené, & in morbillo symphomatico, quando materia cum febre relicta fuerunt in venis, est vena secanda, & cauté nutriendam.

Eodem *fol.* 15. *pag.* 2. §. *Hoc supposito, &c.* In diebus præcedentibus variolis exantematibus & morbillis, cum natura non sit posita in motu, non impeditur venæ sectione sed iuuatur euaquatione & attemperatione facta, secus est cum iam mouetur, aut etiam cum motui paratur apparentibus signis crisimis, tunc enim vena etiam secanda, in nariolis, & exanthematibus si corpus sit plenum ad vasa, & antea non fuerit vena secta, perinde, atq; iam apparentibus secatur. At si mihi constiterit de febre morbillorum, & æger habeatur in tertio die, & signa crisina apparuerint, omittenda etiam est venæ sectio, vt in discursu attulimus, perinde, atq; cum apparent.

Fol, 16. §. *Secunda ratio, &c.* Venæ sectio est vtilis in morbillis etiam criticis futuris, ad attemperationem, &

remi;

remissionem febris, & imminutionem causæ coniunctè, hæ vtilitates consequantur ante apparitionem sine incō modo, vt cum apparent, nocet.

Eodem folio, §. 2. *Sic probo, &c.* à quam plurimis impeditur venæ sectio indicata, veluti á metu naturæ in contrarium, maxime quod cum á plenitudine ad vassa indicetur præcipué, hæc non inuenitur cum morbilli apparent, nec etiam plenitudo ad vires cum est criticus (est autem sępe) & cum fuerit in casu particulari symptomaticus, in quo solum procedunt argumenta Doctoris, quibus facilis est solutio. Tunc iuuanda natura per scarificationes, quæ satisfaciunt plenitudini ad vires, vt sæpe est dictum & in praxi id complent omnes , & nostri sapientissimi Doctores Ramirez , & Incognitus quando ex anthematibus, & variolis scarificationes adhibent, & in hoc casu procedunt etiam argumenta sua , vt eas non adhibeant, quæ non pugnant contra criticum. Verum in symptomatico facile etiam respondetur , & primó negatur paritas eius quod resoluitur, cum eo quod liquæfit maior cum sit resolutio maximè quod diuersa est plenitudo sanguinis crisi tendentis venas, atq; sanguinis feruentis, & ebulientes eodem gradu distendentis, diuersimodè enim indicabunt euaquationem, ad cutim natura vergēte. Non enim constituit plenitudinem ad vasa absoluté, quæcumque distensio flutuosa, nec cum ab immodico exercitio, aut calore liquatur sanguis & venæ distendentur , propterea erit plenitudo ad vasa absoluté ad euaquationem : sed hæc consideratur seclusa omni causa pro catarhica.

Eodem fol. pag. 2. §. *Præterea hoc, &c.* Male se res habet quando quærit suppositiones in casu particulari , & raro, de quo non est quæstio, verum in morbillo negatur communiter á principio plenitudo ad vasa , quod si interdū inueniatur , iam est deperdita in hora expulsionis; et si aliqua

aliqua inueniatur, non enim nego posse contingere, non est tanta, quæ impediat motum naturæ iuuare, desiderat enim Auicen. summam vtramq; plenitudinem in variolis cum apparent.

Eodem folio, §. *Vlterius hoc, &c.* Similiter respondetur non incipit communiter morbillus cum plenitudine ad vasa, & si incipiat facile resoluitur quoquitur, & superatur ob materiæ obedientiam & morbi naturam, vt sæpè est dictum.

Ibi, §. *Denique in hunc modum, &c.* Potius Doctor Sapientissimè, argutula quam argumenta hæc mihi videntur, nam præterquam quod non incipit morbillus ab vtraque plenitudine, etiam si in aliquo casu incipiat, quod regulariter contingit in morbis est, vt deperdatur plenitudo ad vasa, & relinquatur vitium, cachoquimia, & malignitas, á quibus ad vires plenitudo,

Ibi, §. *Deinceps pro hac, &c.* Humor relictus post morbillos in casu raro, & symptomatico, contingit ex natura ad vires aggrauata, & tunc natura quieta venam secandam esse docui, & cum adhuc mouetur ad cutim, cum non perficit euaquationem non contingit ex plenitudine ad vasa, sed ex plenitudine ad vires, & cum ait suficerent scarificationes, si ex ratione adhibentur. Dicat Doctor sapientissimus, si quando sui moriuntur ægri, confitetur quod non fuit operatus secundum rationem. Contingit ergo facienti, secundum rationem remedia non operari.

Fol. 17. §. *Præterea sic insurgo, &c.* Dico iterum, quod arguit in casu particulari, & non sequitur ad criticum, & communem: præterquam quod miscela portionis melancholiæ cum bile, aut sanguine tenuissimo non constituit mixtum crassum absolutè, tum etiam, quamuis crassum rederet absoluté nonne posset concoqui & euinci á natura, & expelli criticè? nonne sanguis variolarum est multo-

crasior

crassior, & vincitur, & coquitur & exernitur criticè sæpè? verum sit, vt vult sanguis biliosus cum melancholico nō constituit plenitudinem ad vasa, sed cachochimiam, vt ex Galeno aduximus. Quid ergo operabitur hæc miscela tarditatem, in excretione, & tarditatem in resolutione, & interdum, quod non compleatur excretio, & symptomatica fiat euaquatio, obseruanda tamen perinde, atq; in communi, & ordinario morbillo, aut saltim cucurbitulis, & scarificationibus curanda in hora expulsionis.

Eodem folio 17. §. *Tandem hoc, &c.* Antecedens distinguitur, & conceditur collatione facta, ad sanguinem puerorum, verum non absolute, vt patet cum adultis sit familiaris, & proportionatus humor biliosus & morbi qui ex bile oriuntur, non vero pueris, sanguis autem quo biliosi or eo tenuior, & cum morbillus sit morbus ex bile, aut ex sanguine tenuissimo, vt vult tua sapientia, quomodo hęc poteris alligare; *Morbillus fit ex sanguine tenuissimo, & morbillus fit ex sanguine crasso:* nisi cum procedis arguendo quando tibi est permissum hæc omnia & alia minus probabilia in medium adducere.

Eodem folio 17. §. *Nec secunda ratio*, &c. Plenitudo cum addito non facit plenitudinem absolute, ex Galeno, verum esto, faceret additio humore melancholico, vel pituitoso, non poterit tamen facere addita bile tenuissima: maxime quod hæc omnia procedunt in casu particulari, quare omnibus concessis, nihil relinquitur probatum in communi casu de quo est controuersia.

Eodem folio 17. *pag.* 2. §. *Hoc autem, &c.* Huic dubitationi satisfeci in additionibus contra Incognitum, & est euidens solutio, plenitudo ad vires seorsim citius expostulat remedium quam plenitudo ad vasa seorsum, Verum ex hoc non sequitur quod sit secanda vena morbillis erūpentibus, sequitur tamen quod remedium ex arte cicius apli-

applicetur, ob imminentia pericula, verum in morbillis nulla plenitudo reperitur cum sit criticus sæpissimè; etsi in casu raro fit symptomaticus, & inuenitur plenitudo ad vires (de quo non est quæstio) scarificationes sunt ex vsu in hora expulsionis, & postea cessante motu naturæ, & febre perseuerante venæ sectio. Si autem iste plenitudines conferantur, materia quieta, & non mota cicius, & vtilius est secanda vena in plenitudine ad vires quam in plenitudine ad vasa, in quo casu procedit, sapientissime doctor tuum argumentum.

Eodem folio 17.*pag*. 2. §. 2. *Hoc idem*, *&c*. Omnia procedunt in casu supposito particulari symptomatico, sed huic particulari argumento dicitur, quod si languide expultrix pellit, nullo remedio potius iuuanda quam cucurbitulis adhibitis siccis, & scarificatis, multo amplius quã venæ sectione, si non adsit plenitudo ad vasa, quæ impediat tantam redundantiam ad cutim deferre. Et cum contendit respondere in paragrapho sequenti, probando quod venæ sectio non retrahit ab exterioribus, est iam responsum Incognito, in fine vltimæ aditionis ex doctrina Galeni, præterquam quod si ex sententia huius sapientissimi Doctoris, retractio fit in hora venę sectionis (fit enim etiã postea) non ne erit sufficiens ratio vt prohibeatur? dum potest administrari remedium sine inconueniẽti, maxime quod hæc omnia non procedunt in critico morbillo communissimo.

Folio 18 *pag*. 2. *in fine*, §. *Ad hoc respondetur*, *&c*. Minime respondet, aut dicat, si subitò & impetuosè natura expellit morbillos ex Auicen. & constat experientia communiter, quo modo cognoscit, tum temporis naturam aggrauatam & non potentem expellere, si hoc solum ex diminuta expulsione assequatur.

Folio 19. *initio*, §. *Tertio obijcis*, *&c*. Quod in casu raro con-

contingat ægrum mori, id à me est dictum in discursu primo, ex Auic. & alijs á doctore aductis; quid ergo sequitur quod apparentibus morbilis vena sit secanda? minimè cũ scarificationibus sufficiat pro tunc, at si cum exantematib⁹ complicetur & sanguis magis adustus & crasus appareat, & antea non fuerit vena secta, & etiam apparet plenitudo ad vasa: in hoc casu raró, etiam apparentibus vena tundi potest. Sed de casu isto non est controuersia, vt sæpe est dictum. Sed miror ad quid author Mercatum in præsenti attulerit, in doctrina clara nihil contra me probans. Et miror quanta prudentia, ne dicam cautela, tacuerit eiusdem verba expressa à me aducta, probantia non esse secandam venam, morbilis apparentibus, etiam si antea non fuerit secta. Et qaanta etiam alios similiter omisserit, ne conuictus diceret ipsos delirare, ego autem malo cum doctorib⁹ delirare, quam cum curantibus prudenter agere.

Folio eodem 19. pag. 1. §. Ad hoc respondetur, &c. Male interpretatur, & violenter Galenum à me aductum, exemplo id manifestabo, si accedas domine Doctor ad ægrum cum necesitate venæ sectionis, & ceperit fluxs sanguinimediocriter fluens, non secabis venam profecto, sed exspectabis sequentem diem, & tamen in prima visitatione fluxum eris inspiciens, ergo non inspiciens, sed inspecto fluxu venam secabis, nec est necessé, vt fluxus sit finitus, sed adhuc fluens poterit esse inspectus, idem in fluxu muliebri. Vt ex vera interpretatione intelligas quantũ faciat contra te, & quam celerrimè sis accersitus phlebotomum, cum expediat dare tempus, & opus naturæ obseruare.

Folio eodem 19. pag. 1. §. Sit tertia conclusio, &c. Quanta possem adducere ex Gal. Auicen. & vniuersa schola, probantia in dubio nihil esse agendum, & naturæ rem permittendam videat lector, breuitatem enim desideraui in huiusmodi scholijs, sed sit ita quod expediat magis aliquid

agere; nonnè securiora remedia tutius eligentur, tutiora autem sunt scarificationes, maxime cum motum naturæ faueant. Quanta autem pericula ex venæ sectione sequantur iam aduximus in discursu.

Hucusq; Doctor Ramirez, & hucusq; scholia; quæ cũ ad ea quę primò asserui pertineat ad facietatem replẽtia, & ad nauseam vsq; prouocantia expedire visum est, vt tantorum virorum animus recreatur, & quo ipsorum acutissima ingenia exerceantur. Nouum aliquod addere, erit antem puod sequitur.

Inter crises, quas natura molitur in corporibus humanis, crisis morbillorum est opti na, est præcipua, est melior, est regina crisium. Collatione facta non solum ad crises per abscessum, sed etiam ad crises per excretionem.

Assertionem sic probo; Medicus inter omnes crises hãc amplius & magis appetere debet, ergo quia optima, & melior; consequentia est bona, & euidens, quoniam cum bonum sit obiectum appetitus in ipsum fertur sub hac ratione, & tanto magis quanto maioris boni rationem induit. Antecedens autem probatur etiam euidenter: in quo sit exemplum: incipiant febricitare Petrus, Ioannes, & Franciscus, eodem tempore febribus magnis de genere ardentium; si hæc sunt crisi finienda, optabit Medicus crises morbillorum sine dubio, ergo quia meliores. Antecedens iterum probatur, & primo, morbillorum crisis est omniũ breuissima, & quæ semper in primo quaternario terminatur, hoc nulli alteri febri coutingit ex natura propria, etsi raro accidat; ergo hac ratione est eligenda maior cum minori sunt euidentes. Et consequentia probatur, illa est potior, & optima inter crises, quæ citius finit morbum, & in qua citius comparatur salus sine dubio. Ergo cum id præ alijs crisibus in ea, quæ est morbillorum eueniat, ipsa vè melior hac ratione optanda,

2. Probatur in hac crisi ægri euadūt integri, & ferè sine necessitate conualescendi, quod nō accidit in alijs, vt cōstat experiētia, idq; ex natura morbi, ergo hac ratione necessario est eligenda.

3. Sic morbus est benignior, qui magis ex ebulitione, & ferbore, quam ex putredine, vt in synocho putrida, & ardente, & quibuscumq; alijs continuis, vnde maiora symptomata propria, vt in discursu docuimus: ergo cum incipiunt omnes istæ febres, desiderandus morbillus, & est desideranda eius crisis.

4. Sic hæc crisis fit per abscessum facilis resolutionis, quæ resolutio præcipuè in abscessibus desideratur, idque cum minori resolutione, & dispendio virium, quam in crisibus cum excretione. Est enim cuique euaquationi anexus casus virtutis: at in abscessibus sola est permutatio; ergo hac ratione est prima, & præcipua.

5. Sic in febre, & crisi morbillorum, communiter non est opus medico, & sola natura sufficit, vt in discursu diximus constare euidenter longa experienta, & in epidemia magna anno præterito plures multo liberati fuerunt sine medico, & omnes superstites euaserunt. Et quando hæc scribo, ad me accessit dectus medicus, referens historiam oppidi de Lora hoc eodem anno, in quo dixit plusquam millia labrantium morbillis sequenti, aut tertia die liberatos esse omnes sine medico, & sine venæ sectione (videat Doctor noster quomodo hæc historiæ adaptentur maligno, aut pestilenti) at in alijs crisibus opus est medico docto, & vigilanti, & quanuis ex arte procedat, crises communiter accidunt post septimum, iam languente ægro: ergo.

6. Plurimi morbilorum judicantur ægro non decumbente, tanta est benignitas, & facilitas ipsorum, ergo præferenda & optanda, vt optima, & melior eorum crisis.

Non me latet quod Gale. dixit, 3. cris. 11. & sæpe alibi:

Crisis in prima periodo facta si morbus sit accutus, & calidus; non per abcessum, sed per excretionem. Si diuturnus, & tardus, ij per abscessum quiescere consueuerunt. Nam Gale. non cognouit morbillos; & præterea tradit regularem doctrinam. Ad istum sensum dixit Auicena, 2.4.t.1. cap.2. Et permutationis crisis expectatur, vbi est virtus debilior, & expectatur materia existēte grossa, non enim de morbillo loquitur, de quo dixit, quod est variola colerica, & in primo quaternario terminatur, & morbus, & materia contrariā habent naturam ijs, quæ per abcessum communiter terminatur.

His omnibus, viri sapientissimi, satis, superq; est respōsum ad ea, quæ magnus noster Ramirez in apologia aduxit. Similiter etiam satisfecimus sapientissimo Incognito qui duo viri mihi, & omnibus maximi cum sint, nec doctorem attulerūt, qui dicat morbillum absolutè esse symptomaticum, aut non esse criticum. Nec qui dicat secandā esse venam iam apparente; cum tamen quamplurimi á me aducti contrarium doceant. Ex quo vobis maneat alta mēte respositum, quod vena non est secanda cum apparent communiter, & regulatiter, prout à vobis secabatur; & cum iam non expectem ab alijs plura, nec iam expectabo vestram correctionem, sed vestram reductionem.

VALETE.

Laus Deo.